

05

A

920





4


DISQVISITIO
De
NECESSARIO
ET CONTINGENTI,

ANNUENTE ALTISSIMO
In Illustri Academia Wittebergenſi,

PRÆSIDE
M. BALTHASARE MEISNERO,
Facult. Philosoph. Adjuncto.

RESPONDENTE,
MICHAELE FLÖSSERO, Halâ-
Saxone.

Examini publico subjienda
Ad d. 12. Sept. horis Matutinis.
In Auditorio Collegij Veteris.



WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XL.

V I R I S

Speḗtabili Clarissimis & Excellentissimis

Dn. M. ANDREÆ SENNERTO,
Lingvar. Oriental. P. P. p. t. Decano.

Dn. M. CHRISTOPHORO NOTHNAGELIO,
Super. Mathem. P. P.

Dominis Præceptoribus Fautoribus ac Patronis suis
magnis, devote suscipiendis

Κυδάλιμοι Φῶτες καὶ παιδῶν Διδάσκαλοι,
εἰς ὑμῖν δῶρον μικρότατον προσφέρω.
χρυσὸς μὴ λαμπρὸς, λίθος ἤτοι τίμιος, εἰδὲ
ἀργύριον λευκόν, ξείνιον ὅστιν ἐμὸν:

Ἄλλ' αἶβρον σπυρδῆς ὑπόδειγμα. Τὸσῶτον ἀμείβω,
ὅτι ἐμοί, ὑμῖν, ἄλλο γὰρ μηδὲν ἔχων.

Ἄλλ' ὑμεῖς πολύτιμον, τὸ τοῦτο κομίζετε δῶρον
καὶ νόον ἀτρεκέως ὄχραρον εἶδει' ἐμὸν.

παμωληθεὶ καὶ ὑγῆ Διδάχοιτε βίωσιν:

παρμεδέων δοίη πλείονα δῶρα Θεός.

Ποσ μελέτημα μεταφυσικόν


*In debita gratitudinis & observantia
indicinam studiorumque suorum
commendationem*

submitte offert

Respondens.



05 A 920



CUM DEO!

I.



Necessarium & Contingens est affectio
Entis *disjuncta*, quia disjunctè de Ente enunciatur, &
disjunctè cum ente recipitur, ut dicatur v.g. ens
omne esse vel necessarium vel contingens & quic-
quid non est vel necessarium vel contingens, non esse ens. *Scal.*
exere. 39. ait: Contingens & necessarium distingui integrè essentijs, sicut
per se & ab alio.

II.

Consideratur d. l. necessarium saltem *in essendo*, non in cau-
sando, neque in prædicando, adeoque non agitur de necessario
complexo, quale est in propositionibus & Syllogismis; sed de ne-
cessario *incomplexo*. Neque directè & per se res est de necessi-
tate *astrologicâ*, quam habent Mathematici ex suis hypothefibus;
vel *Ethicâ*, quæ locum habet in Actionibus Mixtis; vel *Physicâ*,
quæ consistit in immutabili effectus ac causæ connexionem, atque
aliâ quacunque necessitate materiali & particulari in actu *exercito*;
sed de Necessitate transcendentali & entitativâ seu in actu si-
gnato.

III.

Necessarium est, quod non potest aliter se habere, 4. Met. c. 5. Sic
necessarius est Deus, quia aliter se habere nequit, necessarium est
bis duo esse quatuor, &c. Constat E. necessarium (ut omnis alia
affectio transnaturalis) suo *Materiali* & suo *Formali*. Illud est enti-
tas; hoc est invariabilitas vel immutabilitas, ita ut necessarium
dicatur id, quod est invariabile seu quod habet entitatem in-
variabilem.

IV.

Notandæ autem hîc sunt necessarij divisiones. Nam I. aliud
est

est *Dependens*, aliud *Independens*. Hoc est, quod planè nullo modo variari seu aliter se habere potest; quomodo solus *Deus* ita est ens necessarium tum ratione essentiae tum ratione attributorum. Illud verò est, quod non planè nullo modo variari vel aliter se habere potest: sed tantum in certo genere & causarum ordine v.g. risibilitas hominis, item Angeli & Animæ Rationales, &c. Atque hinc necessitas oritur dependens, quæ potissimum conspicitur in naturalibus, & contingit vel ratione materiae v.g. in quantitate; vel ratione formæ v.g. in rationalitate, risibilitate docilitate, &c. vel ratione Efficientis v.g. in caliditate respectu ignis; vel ratione finis v.g. in militibus respectu victoriae & sic porro.

V.

Ex necessitate ratione finis ulterius oritur alia divisio, ut Necessarium II. aliud sit *Indigentia*, aliud *Expedientia*. Illud est, quod ad finem alicujus rei consequendum & ad esse rei producendum simpliciter necessarium est v.g. respiratio & nutritio est animali ad vivendum simpliciter necessaria. Hoc est, quod ad finem rei assequendum & ad esse rei producendum tantum ratione commoditatis & bonitatis requiritur v.g. navis & pons est necessarius saltem ad bene esse, illi qui transire cupit fluvium, &c.

VI.

Est denique necessarium aliud *absolutum*, aliud *conditionatum* & *hypotheticum*. Illud in se & sua natura est invariabile. v.g. rationalitas est necessaria in homine, materia in composito & sic porro: necessariò homo sentit, ignis urit, sol illuminat. Hoc in se & sua naturâ quidem variabile est, sed non variat propter hypothesin positam v.g. poenæ divinae sunt necessariae, quia praesuppositâ hominum malitiâ non possunt non sequi; scandala sunt necessaria, quia datâ mundi lubricitate non possunt non esse. Sic ignavus necessariò manet indoctus, fur suspenditur, bona opera sunt facienda, Deus lapsum primorum parentum praescivit, &c. Atque hinc orta est distinctio inter necessitatem *Consequentis* & *Consequentia*.

VII.

Contingens nempe *incomplexum*, est quod potest aliter se habere v.g.

re v. g. doctrina in homine est ens contingens quia potest aliter se habere, vel variari & mutari; ambulatio est ens contingens, motus, &c. *Formalitas E.* contingentiae consistit in mutabilitate vel potius variabilitate.

II X.

Est autem contingencia vel *extrinseca* vel *intrinseca*. Hæc est ipsa libertas voluntatis, quæ æqualiter se habet ad hunc vel illum effectum. v. g. Deus mundum hunc produxit contingenter & liberè, Adam peccavit contingenter, quia potuit peccare & non peccare, homo potest frequentare lectiones vel non frequentare, potest pugnare pro Aristotele vel contra Aristotelem, &c. Illa, quæ habet se ad effectum inæqualiter, quatenus ab agente extrinseco potest impediri, adeoque contingit vel ut plurimum vel rarò, ut in Fortuna & Casu, qua de re agitur in *Physicis*. Sic contingens est ignem non urere, Solem non currere, hominem non nasci cum duobus brachijs, &c.

AXIOMATA.

I.

Omne quod est, quando est, necesse est esse. Nempe quatenus quodlibet consideratur quoad actum essendi & existendi, id est, quando jam determinatur ad certum aliquod tempus, non verò quatenus spectatur in se & sua natura vel in causis antegressis. Sic locutio Petri, antequàm fuit actu, erat quidem contingens: at eo ipso momento, quo loquitur Petrus actu, necesse & ipsum loqui, quia non potest non loqui. Ita posito quòd quis disputet ambulet, &c. necesse est ipsum disputare, ambulare & sic porrò. Atque ita etiam quæcumque Deus præscit ut futura, necessariò fiunt, nempe necessitate *Consequentiae*, quia eo ipso dum fit aliquid vel fieri cognoscitur, non potest non fieri vel tanquam futurum cognosci. Est *E.* necessitas conditionata, ex actu existendi in divino intuitu, orta, quæ proinde nec contingentiam tollit nec necessitatem ipsis rebus affert in tempore, cum illarum saltem ostendat veritatem. v. g. Deus præscivit lapsum Adami ut certò futurum.

rum. E. ille necessariò factus est, nempe hypotheticè, non verò per influxum necessitantem, cogentem, &c. uti de istis monent Dd. *Theologi*. Sic Mathematicus præscit & prædicat Eclipsin, nec tamen illius causa est vel necessitatem affert: Medicus præscit ruinam seu mortem corporis, non tamen causa est & sic consequenter.

II.

Quæ ex hypothese necessaria sunt, ea per se sunt contingentia. Nempe intellig. si ipsa etiam hypothesis contingens sit, non necessaria, v. g. risibilitas est necessaria homini, nempe ex hypothese, positâ animâ Rationali, nec tamen ipsa risibilitas fit contingens, quia est hypothesis necessaria.

III.

Libertas vel Contingentia non consistit cum necessitate. Ratio, quia necessarium & contingens sunt immediatè opposita. Nempe intellig. Necessitas *Coactionis*, quia repugnat esse liberum & coactum, uti in *questionibus* videbimus. Interim tamen potest aliquid esse contingens, & simul necessarium (1.) necessitate *decreti* v. g. mundus est creatus ex Dei decreto & tamen libere creatus. (2.) necessitate *obligationis* & *promissionis*, v. g. Deus dat vitam æternam credentibus ex promissione & tamen etiam liberè: Liberè damus Magistratui sua, & tamen ex pacto & obligatione. (3.) necessitate *præcepti* & *debiti* v. g. liberè quilibet studiosus suum facit officium, & tamen ex ordinatione ac præcepto Dei, parentum, superiorum. Liberè bona opera facimus, & tamen ex præcepto, ex debito & sic porrò.

IV.

Non omne ens mutabile ac variabile statim actu mutatur & variatur. Ratio, quia potentia est saltem causa remota actus. v. g. Angeli & animæ sunt mutabiles & variabiles respectu ipsius Dei, non tamen actu variantur & mutantur. Unde illud: à posse ad esse N. V. C. Vid. l. 9. *Met.* c. 3.

V.

Quod fit natura ordine, necessariò fit. Nempe necessitate *Physicâ*, qua

quæ est immutabilis & invariabilis in se & ordinariè, quæ tamen potest tolli vel impediri à causa prima & independente. Nempe potest Deus facere ut causa quæ necessariò agit, ab actione cesset vel actu secundo, & non agat. Unde distinguunt inter sensum *compositum & divisum*, quod ita intelligunt: Positis omnibus requisitis ad actionem, Deus non potest facere ut causa non agat, quia jam constituta supponitur sub actione: attamen potest aliquid auferre ex requisitis & ita simpliciter & divisim facere, ut talis causa non operetur. v. g. in fornace Babylon. Deus impedivit actionem ignis, necessariò aliàs urentis, nempe negando igni concursum suum, *id est*, non applicando virtutem suam ad operandum cum igne: hoc autem est unum ex prærequisitis ut ignis agere possit. Non E. fecit Deus, ut ignis non ageret positis omnibus requisitis; sed aliquid ex ijs abstulit. *Idem* fecit quando solstetit tempore Josuæ, quando ferrum supernatabat tempore Eliæ & alibi.

VI.

Necessitas & contingentia estimatur ex causis proximis & particularibus; non remotis & universalibus. Hoc est, quando iudicium fieri debet de ratione alicujus effectus, num sit necessarius vel contingens, respiciendum est ad proximam & particularem causam. v. g. ambulatio hominis est effectus contingens, quia homo potest ambulare & non ambulare. At causa remota & universalis effectum nec necessarium nec contingentem facit, v. g. etiamsi necessarius sit influxus Solis ut homo ambulet, non tamen propterea ambulatio ipsa fit necessaria.

QVÆSTIONES.

QVÆST. I.

An detur aliqua rerum contingentia?

Affirmativa quæstionis est in aprico. Multa enim perpetuò & quotidie fiunt, quæ sanè aliter fieri possunt; quod qui negat,
non

non rationibus urgendus est, sed fustibus cædendus vel tormen-
tis exponendus ac cruciandus tandiu, donec concedat possibile es-
se adeoque contingens, se non cruciari. Atque ita rectè *Philippus*
lib. 1. *Phys.* ait: *contingentia in rebus omninò est reliqua.* Atque hoc
etiam in montibus pastores, in theatris poëtae, in circulis indocti, in biblio-
thecis docti, in scholis Magistri, in locis sacris antistites docent, inquit
S. Augustinus. Ulterius autem id probare, ad *Ethicum* spectat. Tan-
tum h. l. *notandum*, quòd hæc libertas neque evertatur per con-
cursum Dei, neque actio Dei propterea sit superflua. Nam cau-
sæ secundæ & inferiores causæ primæ & universali non oppo-
nuntur, sed subordinantur, suntque in quovis effectu plures cau-
sæ diversorum ordinum & generum. *Deinde* Deus ita concurrat
cum causis secundis, ut & libertatem quam semel eis in creatione
concessit, non excludat; nec destruit adeò rerum naturas & vir-
tutes, sed juxta illas cooperatur. Hinc cum fortibus concurrat
fortiter, cum debilibus debiliter, cum necessarijs necessariò, cum
liberis liberè, cum contingentibus contingenter. v. g. cum igne
concurrat admodum ignis, cum homine ad naturam & conditio-
nem hominis, &c.

QVÆST. II.

An in Deum cadat contingentia?

Deus in se & suâ essentiâ est absolutè invariabilis & immu-
tabilis, idemque in *attributis* æternus, immaterialis & necessariò
actuosus; interim tamen ratione actionum & effectorum in *specie*
libertatem & contingentiam servat, unde rursus *affirmativa* quæ-
stionis patet. Certè Deus in creaturis & operibus ad extra non a-
git ex absoluta quadam & fatali necessitate; sed agens est liberri-
mum, v. g. liberè creavit mundum, liberè pios salvat & impios
damnat, &c. *Deinde* nulla quoque potest dari causa quæ Deum
in actionibus suis impedire posset, aut facere ne ipse extraordina-
riè hoc vel illo modo agat. Unde rursus *Philippus* canit:

Non

Non Deus est Numen, Parcarum carcere clausum,

Quale putabatur Stoicus esse Deus.

Ille potest Solis currus inhibere volantes, &c.

Neq; verò metuendum est, quòd in Deum cadat mutabilitas. Nam (1.) contingentia, quæ Deo tribuitur, non est extrinseca, quæ mutabilitatem importat, sed merè intrinseca, quæ est ipsa libertas voluntatis quæque (2.) non tàm, ut antea diximus, consistit in mutabilitate quàm in variabilitate, quæ Deo non repugnat adeò, præsertim cum (3.) omnis illa variatio non fit in ipso Deo subjective, sed in actionibus Dei exterioribus, non in actu; sed in effectu, ut loquitur Bonavent. in 1. sent. dist. 45. Non mutatur ipsa immutabilis Dei voluntas; sed mutantur res ipsæ in tempore, adeoque ipsa in se eadem manens mutari dicitur in objectis seu secundum accidens creaturæ, ut loquitur S. Cyrillus. Vid. August. l. 22. de C. D. c. 1.

QVÆST. III.

An Angeli & Animæ sint entia necessaria?

Hic rursus distingvenda est *essentia* ab *operationibus*. Quoad has contingentiam ijs utiq; adscribimus & libertatè, nam v. g. Angeli possunt liberè se movere de loco in locum, liberè loqui, velle, &c. & Anima Rationalis actu imperato liberè & contingenter intelligit, vult & sic porrò. Verùm quoad *essentiam*, palàm videtur esse quòd sint *entia necessaria*. Ratio, quia per naturam non desinunt vel aliter se habent, ob Creatoris voluntatem. Sunt tamen *alij*, qui negant Angelos & animas esse entia necessaria, *ideò* quia non habent immutabilem entitatem à parte ante & à parte post, *id est*, quia potuerunt non fuisse & possunt non esse deinceps. At procedunt illi à *specie* certa ad ipsum genus; *negative*; quippe cum præter necessitatem independentem detur etiam necessitas aliqua dependens & finita, ut constat ex *th. iv. Est E. terminus necessitatis analogus*, ut Deo Enti Summo & Independenti competat primariò, creaturis verò quibusdam secundariò.

B

QVÆST.


QVÆSTIO IV.

An libertas sit immunis à coactione?

Constat ex sup. *axiom.* I. quòd repugnet, aliquid esse liberum & tamen coactum, unde quæstionem hanc affirmamus. Voluntas enim cogi nescit: jam verò à voluntate non differt libertas. Est enim voluntas per essentiam libera & *detractâ libertate voluntas esse definit*, ut inquit *Schegk* l. 2. Topic. At non potest dari aliquod externum, quòd voluntatem aliò rapiat & impellat, quippe cùm fieri nequeat, ut internum movendi principium ab essentia voluntatis separetur v. g. Fur cogitur adire supplicium. Ergò non liberè id facit. *Tàm absurdum est, voluntatem cogi, ac si calidum esset absq; calore*, ait *D. Augustinus*. Interim tamen dist. est inter ipsam libertatem seu volitionem liberam & inter *actiones* hominis externas ex libera voluntate prodeuntes. Illa immunis est à coactione, ut dictum; at his competit etiam τὸ ἀνὰ σίον, id est, invitum, unde quasdam *actiones* vult voluntas libertate & lubentia plena, quasdam verò *semiplena*, quæ voluntatis formalitatem non tollit. Manet enim voluntas salva, & quicquid vult, eo puncto quo vult, liberè vult & liberè eligit, licet forte idem alio tempore & alijs circumstantijs neque vellet neque eligeret. Sic *Jæti* dicunt & tralatitium est: *Etiã coacta voluntas est voluntas*, q. d. voluntatem per se & sua naturâ cogi non posse; sed cogi tamē posse hominem ut aliter agat quàm velit. Sic v. g. cum est periculum naufragij, voluntas liberè vult ejicere merces, etiamsi id non velit plenâ lubentiâ, sed *semiplena* ob aufugiendum majus malum, illudque non eligeret alio forte tempore & alijs circumstantijs. Sic *Martyres* libere interficiuntur pro gloria Dei, & tamen ipsis fit injuria: homines ob tormenta & minas militum coguntur prodere & profundere thesauros &c. Atque hinc oriuntur *actiones illæ mixtæ*, de quibus porro præcipiunt *Ethici*.

Tantum

SOLI DEO GLORIA.



AD
Præstantissimum & Litteratissimum
Dn. Respondentem.

*SCIRE tuum nihil est nisi rescire hoc sciat alter ;
Nec juvat, occultum scrinia quicquid habent.
Quæ tenus hæc privis composita scientia claustris
Ritè fuit, se nunc prodat, Amice, foras.
Ingenuum quemvis agit æstris Gloria Non - Ens :
Gloria quæ non est, esse tamen poterit.
Mox Laurus Sophia te Libertate beabit;
Sic demum non - Ens esse brevi poterit.*

*M. Balth. Meisnerus,
Præses.*

*Q*ui cupit optatam Studiorum tangere metam
Et tandem patrium Doctus adire solum
Delicijs proprijs hunc non turbare Vacuna
Prævalet ast constans in statione manet,
Hinc igitur FLÔSSERE, facis bene, tempora Jova
Quæ dederat, Musis sacrificare studens,
Et præsens Sophiae specimen plaudente Minervâ
Dans In Doctorum non sine laude Choro
Euge ! bonis coeptis insistere perge, Corollam
Pro tantis meritò Philosophia dabit.

*Hac Conterraneo suo pl. dilecto de Necessario
& Contingente publicè disputanti.*

f.

Nicolaus Gerlach.

AD
FACULTATEM & UNIVERSITATEM

Dr. Rectoris

Quod cum in hac urbe sit
Theatrum, quod ab antiquis temporibus
Curiae huius universitatis sit esse habitum
hinc inde, et in hunc modum, hinc inde
legendum quodammodo, et in hunc modum
etiam per nonnullos dies
Mox autem hunc hunc hunc hunc
sic deum non sine hunc hunc hunc

M. D. C. C. C.

Vi cupit operari et hunc hunc hunc
Primum hunc hunc hunc hunc hunc
hunc hunc hunc hunc hunc hunc

Hec Universitas in pl. hunc hunc hunc
& hunc hunc hunc hunc hunc

Nicolaus Gerlach

i
e
s
c
l
r
n

h,
is
i
i
u
o,
n
i
m

05 A 920 (1/2)

ULB Halle 3
003 761 274




920

VD 19

oh







DISQVISITIO
De
NECESSARIO
ET CONTINGENTI,

ANNUENTE ALTISSIMO
In Illustri Academia Wittebergensi,

PRÆSIDE
M. BALTHASARE MEISNERO,
Facult. Philosoph. Adjuncto.

RESPONDENTE,
MICHAELE FLÖSSERO, Halâ-
Saxone.

Examini publico subjicienda
Ad d. 12. Sept. horis Matutinis.
In Auditorio Collegij Veteris.



WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.
ANNO M. DC. XL.